



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 116. Anglicana conjuratio in Elisabetham Reginam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

Denique postrema die septimo ejusdem Mensis Decembris promulgata est contra exules, & alios in Italia commorantes, qui animalia, & alia bona in Statu Ecclesiastico diripiunt, abducunt, recipiunt, vel permutant.

§. CXVI.

*Anglicana conjuratio in Elisabetham
Reginam.*

*Cambden
ann. regn.
Elis.
Thur. l. 79.
Mem. de la
Ligue t. 1.
p. 11.*

Interim Elisabetha Angliæ Regina continuato furore Catholicos divexabat, qua inhumanitate hoc anno ingenti vitæ periculo sese exponebat: percipiamus autem rei gestæ seriem. Erat tum in Anglia Guilielmus Parrius Catholicus, natione Anglus inferioris Curiaæ Senator, porro hic jam antea invicto erga Religionem Catholicam studio insignis, cum Parisiis ageret, cum Patre Wiat Jesuita conferebat circa animi sui propositum, quo Angliæ Regnum ad Ecclesiæ Romanæ obsequium reducere anhellabat: hic autem Jesuita, Vir acri ingenio præditus immaturi hujus consilii periculum eidem ob oculos ponere satagebat, allatisque multis exemplis demonstratum ibat, quod publicam tranquillitatem turbare, ac seditiones contra suum Principem suscitare, nunquam liceret, etiamsi de Religione

gione ageretur: (*) itaque Parrius hu-
 jus Viri rationibus vix non plene convi-
 ctus ulteriora haud moliri paratus vi-
 debatur: postquam vero animi sui pro-
 positum alteri Anglo, nomine Thomæ
 Morgano, qui conservandæ religionis
 studio in Franciam secesserat, manife-
 stabat, hic confutatis Jesuitæ rationi-
 bus Parrium nondum plene persuasum
 eo induxit, ut ad pristina rediret consi-
 lia, ac Morgano spondit, se tunc, si
 Papa ejus propositum ratum haberet,
 idque a quibusdam Theologis Catholi-
 cis comprobaretur, quantocius in An-
 gliam profecturum. Prompta hac Par-
 rii voluntate lætus Morganus scripsit,
 vel per alium ad Papam literas dari
 fecit, quæ etiam per Rogazzonium Nun-
 tium, cui fuerant traditæ Romam
 fuere transmissæ: Verum Parrius ne-
 quidem expectato Pontificis responso
 in Angliam trajecit, atque Edmundo
 Nevillo cognato suo ibidem detexit,
 quod Elisabetham trucidare, atque in
 O 5 eius

Sæcul. XVI.
 A.C. 1584.

(*) Hoc principium certe Lutheranis, &
 Calvinistis, ceterisque sectatoribus non inest,
 qui tam in Germania, Francia, Scotia, &
 alibi passim absque conscientie scrupulo con-
 tra suos Principes bella, & seditiones conci-
 tarunt, sub prætextu, quod conscientie, ac
 sectæ suæ libertatem tueri teneantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

ejus solium Scotiæ Reginam evehere intenderet. Spargunt nonnulli malevoli, sed absque omni vero simili ratione, quod Parrius interea Roma a Comensi Cardinale literas accepisset, quibus ad consilii sui executionem fuisset animatus, hæc ecquidem literæ, uti mentiuntur illi, pergratæ acciderunt Parrio: verum ejusmodi criminis atrocitas tanta est, ut ad ea perpetranda plerumque animus exhorrescat: quapropter infelix hic homo, quamvis aliunde sat insanus, adhuc tamen non modo hoc consilium exequendi difficultate, sed etiam funesta sorte, quam sibi metipsum impendere timebat, abstergebatur, atque in incerto ejusmodi cogitationum turbine fluctuans fortuito casu in Guilielmi Alani Angli Theologi librum incidit, in quo Tyrannorum vitæ insidiari, licitum esse legebat: itaque hæc decisio non minus Christiano, quam prudenti Viro indigna omne dubium Parrio sustulit, eumque in suo proposito magis firmum reddidit, unde eundem librum Nevillo tradidit, spe facta, quod eidem adversus Reginam odium non minus remissum instillare posset: verum hic magis sagax, magisque circumspectus hoc consilium detestabatur, cum vero, si hæc conjuratio detegeretur, ac ipsum rem sibi comper-

tam

tam non manifestasse cognosceretur, Sæcul. XVI.
A.C. 1584.
 iudicii severitate in se agi pertimesceret, hinc Parrium denuntians, ipsum in Reginæ vitam insidias struxisse accusabat. Re intellecta mox Parrius captus Turri includitur, & quæstioni subjectus ab initio quidem rem pernegabat, sed coram Nevillo interrogatus, re ipsa quidem conjurationem fuisse conflatam fatebatur, illius tamen præcipuum Auctorem exstitisse Nevillum affirmabat, asserens, concordî utriusque consilio fuisse (*) statutum, quod Reginam vel in suis hortis, vel in sancti Jacobi Palatio deambulantiem junctis viribus aggredi vellent, atque sociis suis circum circa dispositis, & ad primum rumorem concurrentibus ipsi fuga elaberentur, eo fine, ut omnes Catholicos ad arma capeffenda convocarent: insuper asserbat Nevillus, quod ambo tacto Evangelii libro secreti fidem mutuo etiam interposita

(*) Hujus supplicii genus juxta Thuanum erat hoc: Crati impositus, ac per Londinensem Urbem traductus ad locum supplicii trahitur: ibi cum in priore denegatione perseveraret, patibulo suspenditur, moxque inciso fune pudenda semianimi adhuc exsecta, & cum visceribus ventre aperto extractis in ignem subjectum conjecta, postea caput præcisum, & corpus in quatuor partes sectum fuit.

Sæcul. XVI.
A.C 1584. terposita juramenti Religione sibi spondissent.

Post hæc cum Parrius rursus ad carcerem deduceretur, die quarta Februarii datis ad Reginam literis eandem rogabat, ut cum ipso clementer agere vellet, præterea sui criminis atrocitatem falsus Reginam obsecrabat, ut Scotiæ Reginam mitius haberet, ac sollicitè illius vitam sartam servaret: insuper ad suos Judices perscribens rursus audiri efflagitabat: cum igitur, uti petierat, denuo interrogaretur, eidem consuetæ Comensis Cardinalis literæ exhibentur, quas ipse tanquam veras agnovisse dicitur: porro postea denuo conjurationis crimen fatebatur, constanter autem pernegabat, quod vel unquam in Reginæ vitam insidias struere attentasset: verum hæc declaratio eo minus sincera videbatur, quo paulo ante manifestius id falsus fuisset, testesque, qui eum accusabant, eundem de hoc quoque crimine infimulassent: quapropter tanquam læsæ Majestatis reus morti adjudicabatur, quæ etiam sententia die secunda Martii effectui data est.

§. CXVII.

*Anglici Senatus statuta pro præpedi-
endis Conjurationibus.*

Ex